

in secundo Priorum resolutione, ut etiam de ipso petere in principio. Sed dices quod manifestandus est, subiungit, et ostendit quoniam dedi, non quod mihi videtur, sed gratia orationis, ne indignari et contedere videar. Nam sciens ipsius nullo pacto esse ad orationem neque causam ipsius dedi. Tu vero vtere hoc tanquam existente ad orationem et proprio orationi inexistente. Sed complementum contextus huius scilicet. Quo vero plus est nihil ad orationes, tale est. Tu autem vtere ad orationem et velut proprio existenti problematis nihil existente ad orationem.

Ad eas autem, quae plures interrogationes vnam faciunt, statim in principio determinandum est. Nam interrogatio vna est, ad quam vna responsio est. Quare neque plura de vno, neque vnum de pluribus, sed vnum de vno affirmandum vel negandum. Sicut autem in equalitatis quoadque quidem ambobus, quoadque neutri inest, (quare cum non simplex est interrogatio, simpliciter respondendum nihil accidit pati similiter et in his. Quando igitur plura vni, vel vnum pluribus inest, vel non inest, simpliciter danti et hoc pacto delinquenti, nihil contrarium accidit.

Eos autem qui ad plures interrogationes vnam faciunt paralogismos inquit oportere statim in principio determinare et occurrere dicentes quod plura interrogata, et non oportet vel dare, vel negare, sed ipsum idem manifestum facere, quod plures interrogationes velut vna proponunt, quod non est artificiosum. Nunc autem per ea quae inducit, hoc dicit, quod sepe autem non simpliciter existente interrogatione dantem aliquem simplicem responsionem nihil accidit ipsum peccare. Nam ut inquit in equiuocis, aliquid ambobus, aliquando vtriusque inest. Nam cum Aiaces sint equiuoci inest ambobus petere ad illium, et neutri singulari pugna pugnare cum Therseite, quare in his quibus equiuoca sunt dandum est, vel ita, vel non, ut nunquid Aiax duxit exercitum in Illium? ita. Nam conuenit duobus, sed cum Therseite singulari pugna pugnauit, non. Nam nullus eorum cum Therseite congressus est nec collocutus. (Sed quomodo hoc non pugnant cum prius dictis quando dicit, quod si vera fuerit interrogatio et est multipliciter dictorum, non dandum est ita vel non. Vel si non pugnat cum illis, est enim quod nunc dicit, quod si daretur et si non daretur in his quae multipliciter dicuntur nihil accidit redargui. Nam quia petere ad Troiam de ambobus Aiacibus verificatur, si quis nos rogaret an Aiax in Troiam Illiumque mihi itauit, si dicemus, quod ita, non redargueremur. Similiter an cum Therseite singulari pugna pugnauit, si quidem dixerimus non, sane, nihil graue persuadebimus. Et quod hoc sit quod dicit, compertum fecit dicendo per ea quae deinceps subdit. Quando igitur plura vni, vel vnum pluribus inest. Vnum quidem pluribus petere in illius inest Aiaci, si magis Aiacibus. Plura vero vni ut corisio inest album et musicum, si ergo aliquis interrogaret an corisio musicus et albus est, dicens vtrius nullo pacto redargueretur quod peccauerit dando ipsius vni. Non enim oportet in his quae multipliciter dicuntur simpliciter asserere vel negare.

Quando autem hoc quidem fuerit, illud autem non, aut plura de pluribus. Et est, ut vtriusque inest ambobus, est autem, ut non inest rursum, sit, ut sit cauendum. Et in his orationibus, si hoc quidem est bonum, illud autem malum, quoniam verum est dicere hoc bonum et malum esse, et rursum neque bonum, neque malum. Non enim inest vtriusque vtriusque, alioquin idem bonum, et malum, et neque bonum, neque malum, Et si vni quodque ipsum sibi idem est, et alijs diuersum. Quoniam non alijs eadem, sed sibi, et diuersa alijs, ipsa sibi met diuersa, et eadem erunt. Insuper si bonum quidem malum sit, malum autem bonum, duo fient vtriusque.

Quando autem (inquit) album et musicum inest corisio, vel nauigare ad Troiam pluribus, sic vel affirmans vel negans aliquis nullo pacto redargueretur, sed quando inquit hoc quidem fuerit, illud autem non, ut Aiaci singulari certamine cum Hectoris pugnare, vel plura de pluribus, ut alterari de cane. Nam plura ipsum alterari significat, quoadmodum etiam canis, in his cauendum est ne dicatur illud, vtriusque vel non. Hec autem sunt plura de pluribus nunc, hoc autem non dicit, sed quod dicit, erit sic manifestum, fortitudini inest bonum, et timiditas malum, plura de pluribus, bonum et malum, de fortitudine et timiditate. Vnde hic si quis interrogaret, nunquid timiditas et fortitudo bonum est vel non, non dandum est ipsum vtriusque, vel non. Nam falsum est negare et affirmare, nam in quibus verum simul dicere et bona et mala, et neque bona neque mala, quomodo possibile est in his seorsum dicere bona vel mala. Nam si esset (inquit) bonum malum, vel malum bonum, id est si esset fortitudo timiditas, vel timiditas fortitudo oportebat interrogatus an fortitudo et timiditas bonus sit vel non, dare simpliciter, vel negare, sed quia diuersa impossibile est. Hec cum dicat subscribit et illud absurdum quod accidit dicentibus simpliciter in his ita, vel non. Sed magis et ipsum paralogismum quem concluderunt suppositum de his qui dicunt inconsiderate ipsum ita, vel non, adducit. Subscribit autem hoc quod hoc quare idem bonum et malum, et neque bonum nec malum virtute dicens, si quis interrogatus an fortitudo, ut timiditas bonus vel malus, inquit quod bonum, erit timiditas bonum et malum, malum quidem quia etiam malum est, bonum autem quatenus ipse dedit bonum esse. Si vero negabit, rursum erit fortitudo bonum et malum, quatenus quidem dixit ipse non esse bonum, erit malum, et quatenus magis bonum est, erit bonum, quare erit idem et vni, ut fortitudo bonum et malum, et nec bonum nec malum, sed si hoc, quia vni quodque ens sibi met idem est et diuersum ab alio. Nam ipse Socrates sibi met idem est, sed a Platone alter, quia igitur vni quodque ens sibi met idem est, et ponitur fortitudinem bonum esse et malum, et bonum et malum diuersa, igitur fortitudo erit sibi met eadem et altera. Similiter autem et timiditas, quare erunt ipse. Timiditas et fortitudo sibi ipsae eades et diuersae. Verum verba contextus huius. Quoniam non alijs eadem sed sibi, non sine defectu pronuntiatur. Sed complementum erit tale. Quoniam autem non alijs quidem sunt eadem et diuersa, sed sibi ipsis sunt eadem et diuersa a seipso.